



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo**

**Zype, Frans van den**

**Antverpiæ, M. DC. XLV.**

Resp. I. De matrimonio inuito, nec intelligente parochi, attentato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

tionis, etiam posita præmeditatione, & excluso infortunio. & memoria repetendum est dilemma, quod supra est positum; ut quamuis admittamus reconciliationem, per actus computationum; nullibi tamen in actis ponitur, aut probatur, specialis aliqua amicitia vera, aut simulata inter reum & occisum; quæ ad qualitatem proditorij exigi videtur. *Menoch. d. cas. 361. n. 24. Diana & citati vbi sup. & alij passim.* ut osculum Iudæ, cædes Abner, & Amasæ à Ioab facta, Vriæ per Dauid, & aliæ ab authoribus *d. n. 24. citatis* allatæ.

Proditorium quidem diuersimodè accipitur: ut est apud Farinac. *q. 18. n. 74. & seqq. Tulum v. proditor. conc. 896.* propriè tamen respectu priuatorum proditor dicitur qui sub clypeo, prætextu, colore amicitia offendit. cum ergo de præiudicio priuilegij ecclesiæ minuendo agitur, verba nouæ constitutionis strictè sunt interpretanda de eo, qui dum se

amicum ostendit, seu fingit, aliud facit. *l. 1. D. de prauaricat. l. athletas. §. pen. D. cod. c. transferunt. 24. q. 3. c. omnis. X. de pœnit. & remiss.* quamuis enim, qui eum, qui neque amicus est, neque inimicus, offendit sine prædia diffidatione, ut loquuntur, accedere ad proditores videatur; plurimumque ea sit sententia, tamen axioma illud, *nemo volens percutere dicit, caue;* significat latam illam esse acceptionem: in fauorem autem ecclesiæ mox diximus verba bullæ strictè esse accipienda. nam summa est ratio, quæ pro religione facit. & vbi diuersæ sunt iudicum sententiæ, statur illi, quæ fauet piæ causæ. *c. vlt. X. de sent. & re iud. quanto magis id obtinere debet, vbi tantum interpretes dissentiunt? nisi altera opinio esset euidenter iniqua. Tiraguell. de priuileg. piæ causæ priuileg. 147.* sed piæ causæ semper fauendum est, & secundum illam in dubio iudicandum. *idem priu. 146. 148.*

<sup>19.</sup>  
In dubio  
sententiâ  
pro immu-  
nitate.

<sup>18.</sup>  
Prodito-  
rium vt sit  
accipien-  
dum?

# LIBER QVARTVS

## De sponsalibus & matrimonio.

### RESPONSVM I.

*De matrimonio inuito, nec  
intelligente parochio  
attentato.*



Vod à Concilio Trid. statuitur *f. 24. de reform. mat. c. 1. §. qui aliter accipiendum est, vt in l. coram Titio D. de verb. signif. l. diem §. coram D. de arbit. vt & scire debeant parochus & testes, & intelligere quid aga-*

tur. non etiam consentire. *scire,* inquit d. l. coram, *non etiam velle debet: nam & inuito eo rectè fit quod iustum est.* in eamque sententiam Cardinales Concilij Interpretes sæpius responderunt, validè contrahi matrimonium coram parochio, & testibus inuitis, mutuo contrahentium consensu intellecto. *d. c. 1. scire ergo, intelligere, videre, in conspectu habere, oculis, audituque percipere parochus debet actum, agentesque.* *Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. d. c. 1. n. 79. diximus in Consult. can. de sponsal. & mat. conf. 3. & 4.*

Negat hic Pastor se vidisse

S 4 luue-

<sup>1.</sup>  
Valeat cor-  
ram inui-  
to. modò  
intelligat.

2.  
An pro in-  
telligente  
habendus  
sit cum alij  
quod age-  
batur in-  
tellexe-  
runt?

iuuenem, negat se audiuisse res-  
pondentem filiae dicenti, *accipio  
te in virum.* contra afferunt testes  
duo, vterque parens filiae se audi-  
uisse, vidisse, intellexisse: parochum  
videre, audire, intelligere potuisse,  
& credere intellexisse, si si igno-  
rantiam affectarit. in hac dissonan-  
tia valet discertio Iudicis: cui illa  
remititur. *l. 21. §. fin. & ibi DD. D.  
de test.*

Numerus hinc testium, inde  
persona parochi, vita laudabilis, fi-  
de digni, inde praesumptio, quod  
quis scire praesumatur quod om-  
nes, qui adfuerunt, sciunt: inde iu-  
ramentum contrarium, causam  
perplexam faciunt. & quidem si  
vnicui vnico testi, cuius nihil  
interit, credi posset, ex certa scien-  
tia deponenti; vt vult Faber &  
*ab eo citati def. 35. C. de test.* id maxi-  
me recipiendum esset in parocho  
de actu sui officij testante. *vt dixi-  
mus d. conf. 3.* vt & parochialibus  
registris omnem fidem tribuit  
edictum an. 1611. *art. 20.* & praes-  
umpta scientia praevalet igno-  
rantiae iuramentum. *c. ult. X. qui  
matr. accus. nisi grauis nimirum es-  
set praesumptio. c. vidua. X. de re-  
gular. vt nullatenus illa verisimilis  
foret. c. quia verisimile. X. de praef.  
Vinian. in Ration. ad d. c. ult. Menoch.  
de praef. lib. 1. cap. 77.*

At hic constat cum per frau-  
dem vocatus esset parochus, &  
contrahere L. & F. contenderent,  
magnos exortos esse clamores: pa-  
rochum fugere, alios retinere con-  
natos: bilem illi motam, mutatum  
vultus colorem, inter violentiam  
hinc ad erumpendum, inde ad re-  
tinendum: adeo vt apoplexiam ad  
sex horas veritum se fuisse decla-  
rauerit. verisimiles ergo haec sunt  
negotij circumstantiae, vt non vi-  
diffe, non audiuisse, non intellexif-  
se possit credi.

Vt omnino distractis contingit,  
obuios non videre, ita vt agnos-  
cant: sonos non audire, ita vt ex-  
audiant; oculos quidem auresque

percuti; visa tamen, auditaque  
non animaduerti: ad intellectum  
non penetrare: ita parochus hic ac-  
cidisse iurato credendum vide-  
tur; eius eximia probitate expen-  
sa.

At obijcitur affectasse parochus  
ignorantiam; eoque perinde ha-  
bendum, ac si intellexisset. *c. con-  
tra stat. de reg. iur. in 6. a contraria  
sensu. c. imputari. ibid. sed haec locum  
habent, cum alicui incumbit quid  
facere, vel non facere, quando ca-  
sus illi adscribitur, cuius culpa ac-  
cidit, neque excusari meretur, qui  
ibi necessitatem iniecit. *Canf. &  
DD. in d. c. imputari.* at hic nulla  
parochi culpa potest argui; nec igno-  
rantia recte vocari affectata,  
quod vitium sonat, vt ex Erasmo  
notat Spiegel. *in Lex. v. affectare &  
de Tuberone ait lex. 2. D. de origin.  
iur. Concilium Lateranense de  
clandestine contrahentibus c. 3. §.  
si quis. X. de clandest. despons.**

Vbi d. c. 3. in princ. & §. fin. gra-  
uiter sub poena suspensionis sacer-  
dotibus prohibet, ne clandestinis  
matrimoniorum contrahentibus, seu  
quae prauias non habent denun-  
tiationes, intersint. vtique ad sen-  
sum d. l. coram, ne placido lumi-  
ne videant; audiant, intersint,  
adeoque tenentur, si possint, fuge-  
re; & euadere: non videre, non au-  
dire, non intelligere, si poenas ve-  
lint euadere.

Non ergo culpabiliter affectas-  
se ignorantiam dicitur. hic paro-  
chus: non quasi in contumaciam  
affectantis praesumetur pro con-  
trahentibus, sed in officio suo in-  
cedenti per viam d. c. 3. fide tri-  
buenda erit, quae eis debetur, qui  
rite functiones suas obeunt. & sic  
ad sensum Concilij Trid. praeter-  
tem non fuisse. & quamuis dican-  
tur Cardinales Interpretes rel-  
pondisse pro matrimonio, dum  
parochus ignorantiam affectauit,  
ad eam tamen declarationem rel-  
pondimus d. conf. 3. praeterquam  
quod Urbanus VIII. iam decre-  
uerit,

uerit, ne vllis declarationibus huiusmodi in iudicio, vel extra fides habeatur; nisi appareant sigillo Cardinalis præfecti munitæ, & secretarij manu signatæ. quod & tum æquissimum est, cum non videntur cum iuris ratione conuenire: vt non illa cum d. l. coram. d. c. 3.

Nihil etiam arguit confessio Iuuenis, quæ alioquin etiam in matrimoniali causa omnes probationes superaret, *Vvames. de spons. & mat. conf. 529. n. 20.* vt pro iudicatio videatur habendus: *l. vn. C. de confes. quia confessio tantum valet quoad consistentem: neque recipitur, si naturæ, aut iuri repugnet. l. 13. D. de interrogat. act. non ergo illius confessio probat parochi intelligentiam, sine qua matrimonium consistere non potest iure Concilij Trid. eius ergo confessio aduersus huiusmodi ius, & veritatem nihil probare, aut præstare potuit. sed eam Iudex sequetur, quatenus ei nota erit eximia, quam diximus, parochi prohibitas.*

RESPONSVM II.

De proprio parochio.

Controuersitur matrimoniū, quod coram parochio contractum est, an validum sit, quod Concilium Trid. loquatur de proprio, in verb. *ter proprio contrahentium parochio*, & continuo sensu sequitur §. qui aliter. qui in c. omnis. *x. de panis.* dicitur proprius sacerdos. sub quo scilicet contrahentes domicilium habeant. *Trinis. l. 1. decis. 23. n. 1.* seu sufficientem habitationem; contrahentes autem eam hic non habuerint. sed sponsus sub alia parochia, sponsa autem moram quidem aliquam sub illo parochio fecerit; domicilium non habuerit. quia cum le-

gitima non esset; & hodie strictè liberi naturales non sint; *Cuiac. l. 5. obs. 6. in fin.* de familia non sint; sed extranei: §. *si aduersus. institut. de nups.* patrem solæ nuptiæ demonstrant, *l. 5. D. de in ius vocand.* ideo matrem illi non patrem sequantur; *l. cum legitime D. de stat. homin.* adeoque maternum non paternum domicilium, *Piascet. in prax. Episcopal. p. 1. c. 1. art. 2. n. 2. vers. ratione domicilij. Gonsal. ad reg. 8. Cancell. glossa. 9. §. 1. n. 14. & seq.* illudque non hoc sit hic attendendum, *l. 1. in fin. l. eius qui D. ad municipal.* domicilium autem originis, vt hic est maternum, dicatur immutabile, *l. assumptio. D. ad municipal. l. origine C. de municipal. l. 10. ac durare præsumatur, donec probetur mutatum; Baldus in l. fin. n. 2. vers. sed sufficit. C. si à non competent. Iud. d. l. assume. & gloss. in verb. mutare. & verb. non domicilium. in fin.* eoque minus, quod pupilli sine tutore nihil agere, adeoque nec domicilium constituere sibi possint, vt opus fuerit titulis *D. & C. vbi pupillus educari, vel morari debeat.* adeoque sponsa hic minorennis domicilium maternum mutare non poterit, & sic nec parochiam aliam nancisci, quamuis tunc, per aliam occasionem missa, apud patrem sub illo parochio moraretur.

Sed enimvero decisum est filium familias constituere sibi posse domicilium: *l. 17. D. ad municipal.* & morari vbi debeant pupilli leges decernunt; non vbi minorennis: qui sine curatore agere quod lubet, & contrahere possunt. imò nec curatorem inuiti accipiunt, nisi in litem. poterunt ergo sibi constituere domicilium & habitationem parochialem. præsertim cum puberibus permissum sit contrahere matrimonium, illiusque & spiritualium rerum respectu habeantur pro maiorennibus. & quæ de materno domicilio dicta sunt, non de quibuslibet illegitimis, sed de vulgò quæ sitis dicta

4. An obit partium confessio?

2. An illud mutare & aliud sibi constituere possit.

3. Iam pubes.

1. Filia illegitime nata an extra domicilium maternum rectè contrahat.